

1773,6.

DE
IOHANNE FRIDERICO
PRINC. ELECT. SAX
SVMMO HISTORIARVM PATRONO
PROLVSI O

ORATIONIBVS
IN
MEMORIAM
HENRICIANAM
SEIFERTHIANAM
RIDELIANAM

A. D. VI. MART. A. R. S. CICIOCCCLXXXIII
RECITANDIS
PRAEMISSA
A
IOH. GOTTLLOB BOEHMIO
FAC. ART. H. T. EX-DECANO

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEIMIA

30
ΟΣΙΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ
ΟΜΟΛΟΓΙΑ ΤΗΣ ΙΩΑΝΝΟΥ
Ο ΑΓΙΟΥ ΠΑΠΑ ΣΤΕΦΑΝΟΥ
ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΠΡΙΝΑ
Η ΑΓΙΑΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ
Η ΑΓΙΑΣ ΜΑΡΙΑΣ ΒΑΡΙΑΣ
ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΠΡΙΝΑ
ΙΩΑΝΝΟΥ Ο ΑΓΙΟΥ ΠΑΠΑ ΣΤΕΦΑΝΟΥ
ΑΓΙΟΥ ΑΓΓΕΛΟΥ ΖΩΑΝΝΟΥ
ΑΓΙΟΥ ΑΓΓΕΛΟΥ ΖΩΑΝΝΟΥ
ΟΙΚΟΥ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΑΠΑ ΣΤΕΦΑΝΟΥ
ΕΠΙΦΑΝΙΟΥ ΠΡΙΝΑ
ΑΓΙΟΥ ΑΓΓΕΛΟΥ ΖΩΑΝΝΟΥ

Quae sint et numero et magnitudine insignia Du-
cum Electorum Saxoniae in bonarum artium
ac litterarum disciplinas merita, adeo in aprico
est, vt facile ab omnibus non modo doctis hominibus,
sed etiam iis, qui vel leuiter tincti sunt rerum talium
notitia, cognoscantur ac celebrentur. In illo autem
doctrinarum vniuerso orbe quanto magis intellexerunt
sapientissimi Principes, Historiam tum pulcritudine sua,
tum vtilitate longe ceteris antecellere, necessariamque
esse ad reipublicae prudentem gubernationem, omni-
noque ad vitae humanae rationem recte instituendam
ac regendam; tanto illam magis et ipsi complexi sunt
amore tenerrimo, et ab aliis diligentissime coli volue-
runt. Qua de re, praeter alios complures, Petrus Albinus,
Historiae Patriae non contemnendus auctor, in Progym-
nasii Nouae Sax. Historiae, p. 30. "Illud, inquit,
„sine ingratitudinis scelere praeterire silentio non pot-
eramus, hac in parte merito etiam commendari debere

A 2

, „Illi-

IV . DE I O H . F R I D E R I C O

„Illustrissimam Familiam Saxoniam. Non solum enim
„totius historiae studiosissimi semper fuerunt Principes
„nostri, (quo nomine a multis praedicantur,) sed scri-
„ptores etiam Saxonicae et Misnicae historiae — exci-
„tarunt.“ Contigit autem quadam quasi benignitate
fatorum, vt, quum primum in Germania, Maximilia-
no Caesare, post longas moras prouenirent historiarum
rectiora studia, ab eoque, tamquam benigno fidere,
fotae pulcerrime efflorescerent, apud Saxones Septem-
uiratum Imperii teneret Fridericus tertius, sapientiae
laude Princeps dignissimus, litterarum indulgentissimus
parens. In eo igitur vt erant virtutes paeclarae mul-
tae, rerumque et artium bonarum mirificus amor atque
egregia doctrina: ita in primis historiarum studium cu-
rae cordique habuit, idque in negotiorum publicorum
procuratione saepenumero ipse expertus salubre ac fru-
giferum, beneficiis ornauit liberaliter, atque in maius
ac melius prouehere laborauit. “Curauerat, inquit
„Melanthon, (Declam. T. III. p. 93.) sibi perscribi Epito-
„men historiarum, in qua series erat omnium tempo-
„rum et Monarchiarum; quam ita in conspectu habe-
„bat, vt in grauiissimis deliberationibus saepe inde ex-
„empla recitaret. Nec raro dicebat, se non tantum
„voluptatis caufsa historias legere, sed sumere inde de
„multis

„multis rebus commonefactiones, et cognitionem ea-
rum necessariam esse non solum gubernatoribus, sed
„etiam ceteris hominibus omnibus.“ De quo inusita-
to eximii Principis, in historiarum doctrinam, fauore
quamvis prouum sit plura commemorare, in his quae-
dam indicta *Budero*, viro celeberrimo, cuius de Fride-
rico Sapiente, historiarum patrono et propagatore,
haud incultus libellus in manus hominum eruditorum
venit; (v. eius Opusc. p. 634-645.) tamen cohibebo
orationem, nec finam eam extra oleas, quod aiunt,
vagari.

Non enim rem illam totam, vtpote maiore quasi
theatro dignam, nunc enarrare apud animum constitui:
sed, quantum potero, sequens *Buderi*, mihi, dum fata
sinebant, amicissimi, vestigia, sigillatim Johannis Fri-
derici, cognomento Magnanimi, Ducis Electoris Saxo-
niae, parem historiae amorem studiumque, ne diutius
lateat obliuionis iniuria, per hanc occasionem Acade-
micam exponam. Ad cuius rei memoriam hoc tempo-
re recolendam impulit me, praeter caussas graues ali-
as, recens ac praeclara significatio summi fauoris, quo
historiarum doctrinam prosequitur Serenissimus Elector
noster, FRIDERICVS AVGVSTVS, litterarum atque
artium optimarum Princeps longe amantissimus. Is

A 3

quum

IV DE IOH. FRIDERICO

quum accepisset, in tanto Voluminum Historicorum prouentu adhucdum deesse Historiae Catholicae Epitomen, in primis scholasticae disciplinae idoneam, in qua rerum magnarum narratio diligens ac perspicua potius secundum temporum et imperiorum ordinem pede recto procederet, quam, quo scriptoris traheret ingenium, vel inuita excurreret; sibi sane gratissimum fore nuper significauit, si qui e nostratis rem talem expediendam fusciperent, ac pro sua exspectatione perficerent. Cuius instituti utilitatem quo clarius mente perspicimus, eo reuerentius Principis Indulgentissimi consilium voluntatemque colimus ac collaudamus. Sed ad propositum venio.

Incudit Iohannis Friderici, de quo dicere instituimus, aetas in auspiciatissima tempora, quibus, pulsata barbarie, excitata ab inferis cum meliorum litterarum omnium, tum in primis historiarum studia non modo in Musarum umbraculis tractabantur adsidue, sed ab

sum-

* Vid. Ioh. Godofredi Mulleri, „ni, Dni Iohannis Friderici, Sa-
V. C. de Ioh. Friderici, cogno-
mento Magnanimi, Elec. Sax.
iuuentute Narratio, Ien. 1765. 4.

** “In Bibliotheca, inquit
ville, Zollmanniana reperitur
„Illustrissimi Principis et Domi-
nii, Dni Iohannis Friderici, Sa-
xoniae Ducis, — Tyrocinium
„Graecanicum, sive dicta quae-
dam Graeca, quae ipse Princeps
„Iuuentutis conscripsit, vna cum
„ipius Confessione.“ — Tale
aliquid de Friderico III. Electro-

re,

summis quoque Principibus magno in honore ac pretio habebantur. Iam vero illorum amor quum, ut ante dictum est, multo maxime ferueret in aula Principum Saxonorum; fieri profecto non potuit, quin a prima ille adolescentia artibus iis, quibus ad magnam fortunam informantur ingenia, diligenter imbueretur.* Ita vero traditus doctis ac prudentibus magistris, non tantum Latinas litteras studiose didicit, verum etiam Graecis operam adeo nauauit, ut per exemplaria Graeca, tamquam per amoenissima doctrinae liberalis vireta, expatiatus, inde, sibi ac reipublicae quae frugifera putaret, consilia, facta, dictaque egregia in pugillares referret. Cui rei quidem monumento est *Tyrocinium Graecanicum*, ipsius manu perscriptum, quod in *Frid. Zollmanni* scriniis adseruatum olim fuisse testatur *Struuius*, Biblioth. Sax. p. 487. **

Inter haec animum industriamque coepit Joh. Fridericus ad historiarum cognitionem conuertere, disci-

plina
re, refert *Melanthon*, l. c. „Vi- „quod non est placidum: et hoc
„dimus ipsi manu eius scriptas „Plutarchi: Ut sol, quum venit
„sententias in paruis pagellis, „in summum fastigium, tardius
„quas adfixerat parietibus, vt „incedit; ita in summa porestas
„in conspectu essent, de animi „te constantius et moderatius
„moderatione, videlicet hoc Se- „omnia agenda esse.“ Cf. *Fabri-
„necce dictum: Nihil magnum,* cii

Sax. Illustr. L. VIII. p. 21.

VIII DE IOH. FRIDERICO

plina vsus acri et adsidua Georgii Spalatini, viri eximii. In eo ut pietatis virtutisque flagrantissimus ardor, doctrinaeque eruditae excellens scientia fuit: ita historiarum praecipue tantum tamque egregium studium eminuit, ut dignus iudicaretur, quem primum Domus Saxonicae Historicum Fridericus Sapiens, deinde Iohannes, pater Ioh. Friderici, denique hic ipse, liberalissime constituerent. Conf. Albini Progymn. l. l. *Christ. Schlegelii Hist. Vitae Ge. Spalatini, (Ien. 1693. 4.)* Quam prouinciam quanta cum cura, quanta cum industriae doctrinaeque laude procurauerit Spalatinus, multis non contemnendis libris, quorum plures in manibus versantur doctorum hominum, nonnulli adhuc in scriniis abditi iacent; testatum reliquit. Ab hoc tali igitur aetanto viro initiatus Ioh. Fridericus quasi sacris Historiae, facile intellexit, id quod est, nemini magis opus esse eius cognitione, quam Principi; in eaque colenda

ope-

* Vid. Schlegelius l. l. p. 12.

** "Von dem beweuren Deutschen Fürsten Arminio: Ein kürzerer Auszug aus glaubwürdigen lateinischen Historien: durch Georgium Spalatinum zusammengetragen und verdeutscht. Wittenberg." (1535. 4.) Versio Latina exstat apud Schardium, inter Script. Rer. Germ. T. I. p. 259. Occasione scribendi, quam in profectione ad Cluensem Ducem, An. 1534, suscepit, natus erat Spalatinus, in epistola dedicatoria refert, his quidem verbis: "E. C. F. G. weis ich unterbeniger

operam diligentem collocauit, ac progressiones praeclaras fecit.* Néque inseguuntis temporibus, quibus ad Principatum admotus premebatur multis grauissimisque curis, illius studium, nedum amorem exuit, sed potius in laborum negotiorumque lenimentum, per omnem vitam, constantissime retinuit.

Quum autem omnino utile, ac gubernatoribus necessarium sit, nosse in primis rem publicam suam; sane hic Princeps noster ad rerum Germanicarum notitiam adeo animum intendit, vt ne veterum quidem illarum incuriosus esset, ac saepenumero praeclara inde exempla vel ipse recoleret sermonibus, vel a peritioribus recitata diligenter audiret. Quod quidem eius studium incitamento fuit Spalatino, vt suum illum libellum, cui Arminio nomen fecit, ex priscis historiarum monumentis componeret,** eique dicaret, ac dein talia haec copta latius prosequeretur. Nam a Spalati-

ger Meinung nicht zu verbalthen,
das ich in E. C. F. G. nechst
rheise, nach dem Rhein, Julich
vnd anderer ende, bewegt, durch
die gegenbeit vnd maßstad, darin
vorzeiten die Romer grosse Krieg
— mit den Deutschen, und son-
derlich mit dem großen thewren

Fürsten derselbigen ende, Armi-
nius oder Herman (geführt);
Folgend, als ich wiederumb an-
leim kommen, aus dem Plinio den
eltern, Strabone, Corn. Tacito,
Suetonio, Vellejo Patervulo, —
als den färnemesten glaubwürdig-
sten schriften, zusammen gezogen
B vnd

no comperimus post illa omnino de Germanorum veterum rebus, domi ac foris piaeclarē gestis, maius opus adornatum, * idque etiam Principi, intelligenti aestimatori, et lectum studiose esse, et praeter pauca vehe menter probatum. Supersunt Iohannis Friderici ad illum litterae, anno supra millesimum quingentesimum quarto et quadragesimo Vinariae scriptae, his inter alia verbis: "Er las es ihm wogefallen, sehe auch in allwege vor gutt ahn, das solche historien in druck gegeben werden mügen. Allein hab er des Furstenth. Rügen halben darin ein irthumb funden, und verzeichnet, wie es darumb eine gelegenheit gehabt." Atque haec, ad rei alias indicatae in cognitaeque memoriam, transcripsimus e schedis Hortlederianis, benigniter ad nos missis a quodam Viro magno, ac studiorum nostrorum benevolentissimo Patrone. Quae sane schedae, rerum ad Historiam Patriam pertinentium plenissimae, quum sint et huius nostrae quasi fundus Narrationis; nac ego homo fo rem

und verdeutscht, souiel ungefehr.
lich von bemeltem thewren beld,
und seinen kriegen, streiten, und
schlachten mit den Römern zu be-
finden, Damit E. C. F. G. mügen
sehen, was grosser Sachen die al-
te Deutschen gefurt."*

* Alter Deutschen grosse Tha-
ten Kriege Züge vor und nach Chri-
sti Geburt, aus Aventino, Rhei-
nano und andern zusammen gezo-
gen. Hanc Operis inscriptionem
ex litteris Ioh. Friderici, Elect.
Sax.

rem ingratissimus, nisi propensam tanti Viri in me voluntatem hac publica reuerentiae testificatione cole rem ac praedicarem. Iam illuc, vnde diuerti, redeo.

Emicuit autem studium laudatissimi Principis et industria multo maxime in patriae maiorumque sitorum rebus cognoscendis atque illustrandis. His enim nihil ille prius, in legendis Annalibus, et antiquius habuit; nihil, quod curiosius indagaret, inspiceret, perpendere, aut in quo scriptorum exquisitam diligentiam magis spectaret, vel desideraret. Solebat itaque, si quid rerum illarum non exploratum fatis, vel omnino falsum, in historiarum monumentis reperisset, vel ipse penitus excutere, vel inuestigandum et emendandum tradere ac commendare Spalatino suo, vt, si ad liquidum perduxisset, Historiae, quam pararet, Saxonicae insereret. In quam sententiam scriptas ad eum litteras Principis complures videre licuit *Hortledero*, atque inde nonnulla notatu digniora describere, fibique habere.

B 2 Talia

Sax. *Hortlederus* adulit in schedis suis. — Nec, quantum scio, alia illius rei vlla extat memoria, neque in Indicatio scriptorum Spalatini, apud *Schlegelium*, I. I. p. 193. sqq. neque in *Cypriani Catalogo Codd.* Mscr. Biblioth. Goth. Nam diversum esse putem ab Chronico eo, cuius meminit, praeter *Albinum*, in Chron. Terrae Misnensis, p. 302. *Hortlederus* Comment. de cauiss Belli Germanici, T. I, p. 597.

Talia sunt certe, quae ex illis ipsis, quas supra laudauimus, litteris refert animaduersa in *Chronico Vrſbergenſis*, eique adiunctis *Casp. Hedionis Paralipomenis*.^{*} Et iuuat verba *Hortlederi* hic repetere. “*Meldet S. Ch. G. daß sie in Chronico Hedionis gelesen, und darin folgende irthumb funden.* 1) *Als solten etzliche Croniken besagen, daß Keifer Philips von einem Landgrafen ermordet worden, welchs nicht sein könne.* 2) *Als sei S. Elisabethen sohn, den er Henricum nenne, zum Keifer erwehlet worden.* 3) *Als hab Marg. Friedrich der I. Chf. alle seine gerechtigkeit einer freien Wahl Carolo IV. vor etzlich 1000 Pfund Silbers verkauft. Begehrte darauf, Spalatinus wolle sie refutiren, und seinen Chronicis ahnhengen.* Zuvor aber *S. Ch. G. zu lesen überschiken.*“ Haec igitur, et huiuscemodi alia, Princeps Elector ad Spalatinum, qui demandatis partibus egregie satisfecit.

At vero Elector, quamquam grauioribus negotiis occupatissimus, non passus est suam ipsius operam Patriae Historiae, domesticaeque antiquitati, peruesti-

gandae
* *Conr. a Lichtenau, Vrſpergenſis Coenobii — Abbatis, Chronicon, cui annexa sunt Paraleipomena rerum memorabilium ab An. 1230. usque ad An. 1537. Argent. 1537. f. rec. Basil. 1569. rufus Argent. 1609. Atque hoc reor esse idem illud, quod in litteris laudatis Chronicon Hedionis vocatur. Nam quae He*

gandae deesse. Quo consilio multa adnotauit ac varia, quaedam etiam curatius explorauit, et ad posteritatis memoriam luculenter prescrispsit. In ista autem rerum antiquarum copia et varietate, neglectis vanis et inanibus, quibus insudando ne hilum quidem proficias, praecipue maiorum suorum origines, quas, ut cum poeta loquar, informis situs premebat ac deserta vetustas, exquirere studuit, factasque inde progressiones enarrare atque illustrare. Qua in re certe aemulatus est laudem Maximiliani Caesaris, qui, *Cuspiniano teste*,^{*} "primus inter omnes Principes, illa aetate, singulorum genealogias indagauit," atque ad hoc studium excitauit animos Germanorum Principum, quorum ante eum fere nullus, ut ait ille, atavum suum norat. Ad quam negligentiam et deridendam, et reprehendendam, dicere Maximilianus solebat: Qui ita essent, eos meros agrestes, eos terrarum filios esse. (*Sie waren eitel Bauern, denn sie wüssten nicht, wer ihr Ahnherr gewest were.*^{**}) Itaque tanto ipse diligentius Austriacorum

B 3 Prin-

Hedonis nomen prae se ferunt,
Chronica Selecta, (*Auserlesene
Chronica von Anfang der Welt bis
1543.*) Argentorati demum An.
1549, in lucem prodidisse legi.

* In Vita Maximiliani I. Imp.
adiuncta *Cuspiniani de Caesari-*
bus atque Imperatoribus Roma-
nis Operi, p. 725.

** Vid. *Spalatinus de antiqui-*
tate

Principum, vnde genus ducebatur, inuestigauit profapiam, ac velut depictam pulcerrimo opere in conspectum produxit. "Diuus Maximilianus, inquit *Vulfg.*
 „*Lazius*, (in Praef. ad Geneal. Aufr. p. 6.) so-
 „ciis laboris Ioh. Stabio, Iacobo Manlio, et Ladislao
 „Sundheymio, maiorum suorum tumulos, nomina et
 „propagationem diligentissime perquisiuit, eorumque
 „seriem, genealogiae brevis forma, arcubus illis trium-
 „phalibus inseruit, quos ab honore vulgo *Erenporten*
 „nuncupauit, non sine maximo sumtu apud Noriber-
 „gam sculptos atque impressos.“ Haud minori studio
 et diligentia Iohannes Fridericus, Septemuir, Illustri-
 simae Stirpis Saxonicae ortum et propaginem, inde ab
 Thuringiae Misniaeque Principibus deductam, in pul-
 cram seriem redigit, ac veluti noua luce collustravit.
 "Hatt einem sondern Stammbaum der Landgrafen in Dürin-
 gen und Marggr. zu Meissen, auch nachfolgender Chur- und
 Fürsten zu Sachsen mit eigner Hand geschrieben und zu
 Pappier bracht, als er gelesen, wie Sebastian Münster
 ganz unwarhaft und unordentlich davon geschrieben.“ Sic
 enim habent verba *Hortlederi*, in ipsis supra laudatis
 sche-

tate et nobilitate Domus Saxonicae, (Herkommen und männliche Thaten u.s.w.) apud *Horsle-* derum, Comm. de caussis belli
Germanici, T. I, Lib. IV, c. 23,
 p. 599.

schedis: additumque in fidem rei maiorem etiam hoc:
“Immassen derselbe von ihm geschriebene und gestellte Stam-
baum in Spalatini Fragmentis historicis noch vorhanden.“
Atque his, quamlibet paucis et exilibus, quum testimo-
nia alia desint luculentiora, adquiescere necesse est: ego
certe satis habeam non pati ea occidere, sed, hac mea
qualicumque opera, ab obliuione et interitu vindicare.

Inter haec autem ac talia cogitauit Iohannes Friedericus et suas res, verissime et adcuratissime perscri-
ptas, ad posterorum memoriam propagare. Itaque
adgressus est ipse, vt de Maximiliano rursus ait *Cuspi-
nianus*, eadem manu, qua ensem tractauit, scribere pa-
trio sermone de rebus suis Commentarios, e quibus
sumeretur quasi materia ad historiam recte conficien-
dam et pertexendam. Composuit enim de Vurcinensi,
quod vocant, bello, inter ipsum et Mauritium, Saxo-
niae Ducem, exorto, longam et adcuratam narratio-
nem, eamque explicandam euulgandamque, vt alia
bene multa, Spalatino commisit ac concredidit. Ve-
rum, age, hac quoque de re, *Hortlederi* verba audia-
mus. “Hatt einen Bericht von 13 Bogen an Spalatinum
mit eignen Handen geschrieben geschickt von dem Wurzeni-
schen Krieg mit H. Morizen: Mit Begehr den'selben, den
nachkommenden zum Besten, in schriften zu bringen, fambt
den

den andern des Löbl. Hauses Sachsen Geschichten, welche zusammen zu bringen er bissher lange Zeit in fleisiger Arbeit gestanden. — Derselbe ist in Fragmentis historicis Spalatini auch noch vorhanden.“ Illud autem bellum tametsi interuentu Philippi, Cattorum Principis, paullo post compositum quieuit: dignum tamen erat memoratu, quum, vt Sleidani verbis vtar, (Comment. de statu religionis, Lib. XIV.) “initium fuerit offensionis „inter ipsos, quae post aucta tempore, grauissimum „Germaniae vulnus infixit.“ Sed quae ab scriptoribus nostris tradita memoriae legimus, tam pauca sunt atque tenuia, vt optabile sit, istam plniorem narrationem aliquando in lucem conspectumque emitti. Nam de Spalatini Saxonice spes, credo, omnis decollauit.

In his ipsis autem persequendis perficiendisque Spalatini industriam quantopere adiuuerit Princeps Elektor ac confirmauerit, vel ex iis, quae adtulimus, haud obscure adparet. Neque eius rei documenta alia deesse in epistolis supra commemoratis, equidem facile credam Hortedero, qui et vidisse plura se, et lectissime referet. “Dieser Churfürst hatt auch mit Spalatino viel Schreiben gewechselt, darin fast nichts, denn von allerhand historischen Geschichten und Befürderung des Werks, das Spalatinus vorgehabt. Wie ich in denselben selbst gelesen.“

sen.“ Tantus erat illius amor in Historiam praeципue Patriam; tantum prouchendae amplificandaeque doctrinae studium!

Omnino autem Iohannes Fridericus, paeclaro in tanta dignitate exemplo, tam adsiduus in legendo scribendoque fuit, ut industriae contentionе haud facile quemquam, non dicam, inter Principes; sed inter viros doctos, parem haberet, immo studiosissimi cuiusque et occupatissimi diligentiam superaret. Memorabile est, ac summa admiratione dignum, quod de illo Melanthonem dixisse testatur *Ioh. Sturmius*, vir doctissimus, (v. Dialog. in *Ciceronis Partit. Orat.*) plura hunc Ducem legendo scribendoque quotidie peregisse, quam et ipse, et Hieronymus Scurphus, Iurisperitus: quorum, tum vterque, in Academia Vitebergensi, ceteris omnibus laboris adsiduitate anteire videbatur. “Itaque hi duo, (sic pergit *Sturmius*, in-
„telligens Melanthonem et Scurphum,) plura,
„quam ceteri, perlegere dicuntur: et per mihi ma-
„gnum videretur, si cum altero solum Princeps —
„componeretur, ut vel Hieronymo par, vel prope si-
„milis diligentia Philippo, esset. — Nunc vero quid
„statuendum est, quum tanti viri diligentia duorum
„industriae anteponatur; quorum alter diligentissi-

C mus,

XVIII DE IOH. FRIDERICO

„mus, alter doctissimus, vterque studiosissimus ha-
beretur?“

Talis igitur quum esset Iohannes Fridericus, tam patiens laboris, rerumque cognitioni addictus; sane ab illo suo historiarum ardentissimo amore nihil admodum quidquam, ne in aduersis quidem rebus, quum in captiuitatem incidisset, remisit. Nam quod a rerum diuinarum studio, et pietatis exercitiis, vacabat tempus, id fere totum historiis legendis (*fürnemen Teutschen und Franzöfischen Historien-Büchern*) insumebat, * vt exemplorum magnorum contemplatione confirmaret animi constantiam, et hoc liberalis oblectamenti beneficio curarum molestias leniret. Per id tempus litteras ad eum, et ad Philippum Landgrauium, ipsum quoque a Caesare custodiae mancipatum, misit *Paullus Iouius*, Episcopus Nucerinus, historiarum scriptor nobilissimus, petens ab iis, vt dubium se et incertum rerum, ab ipsis bello Smalcaldensi gestarum, adiuuarent fideli enarratione. Et singula capita subnotauerat, quae quidem, in diuersis et plane contra*riis* opinionibus, aut conuelli ipsorum testimoniis, aut

ex-

* Vid. *Iob. Forsteri de custo- Hortulodorum*, Comment. T. II.
dia et liberatione Ioh. Frideri- Lib. III, c. 88. p. 727.
ci, Elect. Sax. narratio, apud ^{**} Epistola *Paulli Iouii*, Histo-
rici,

explicari, non modo incorruptae rerum memoriae, sed etiam gloriae tantorum Principum interesset. Quibus honestissimis precibus locum esse concessum, nec affirmare ausim, neque abnuere. Adeo incompta est res: nec *Iouii* eximium illud historiarum opus ad Smalcaldicensis belli euenta perductum. Ipsas quoque litteras illas, licet saepius euulgatas, ** adhuc quam plurimi ignorant: ideoque eas, per hanc occasionem, commemorasse nobis haud superuacaneum est visum.

Constitueram his, quae adulimus, alia quae-dam adiucere, a propositi ratione minime aliena. Sed quum videam orationem iam longius, quam pro hu-ius talis libelli angustiis, progressam esse; mitto reliqua, et ad id, quod mihi hoc iucundissimum scriben-di negotium imposuit, venio. Nam recolenda est, ac celebranda gratis animis et linguis memoria trium de republica et litteris bonis meritissimorum Virorum, quorum beneficentia institutum est, ut Iuuenes aliquot, doctrinae laude ac morum probitate conspi-cui, in prosequendis apud nos litterarum studiis,

pecu-

rici, ad Ioh. Fridericum Saxo- *Molnari* Lufibus Poeticis, (Ha-num, et Philippum Chattorum nov. 1614. 8.) rursus in *Stra-Principes*, prodiit primum An. *nii* Actis Litt. T. II. Fase. II. 1547. 8. Recusa est in *Alb.* p. 88.

XX DE IOH. FRID. HIST. PATR

pecunia liberaliter adiuuarentur. Qua illorum benignitate gauisi nunc sunt ii, quorum nomina subiecimus,

IOH. FRIDERICVS HELDV S AA. M
RATISBONENSIS

GOTTLOB FRIDERICVS HEERMANVS
GORLIC. LVSAT


IOH. CHRISTIANVS THIELISCVS
TESCHENS. SILES

Hi igitur, ingenio, doctrina moribusque praestans-
tissimi, nobisque carissimi, vt non indignos se istius
beneficii fructu fuisse ostendant, orationes sollemnes
in Acroaterio Philosophico recitabunt. Ad quas au-
diendas VT MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR
ILLVSTRISSIMI COMITES VTRIVSQUE CIVI-
TATIS PROCERES GENEROSISSIMI HVMANIS-
SIMIQVE COMMITITONES hora IX. matutina
conuenire velint, et dicentibus fauere, nos magnope-
re etiam atque etiam rogamus.

P. P. DOMIN. INVOC. A. CICICCLXXIII







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DE
IOHANNE FRIDERICO
PRINC. ELECT. SAX
SVMMO HISTORIARVM PATRONO
PROLVSIO

ORATIONIBVS
IN
MEMORIAM
HENRICIANAM
SEIFERTHIANAM
RIDELIANAM

A. D. VI. MART. A. R. S. CICIOCCCLXXIII

RECITANDIS

PRAEMISSA

A

IOH. GOTTLLOB BOEHMIO
FAC. ART. H. T. EX-DECANO

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEIMIA

